

Nachricht

von dem

Königlichen Gymnasium zu Marienwerder

für das Schuljahr

von Michael 1836 bis Michael 1837.

Mitgetheilt

von

dem Direktor

Professor Dr. *Joh. Aug. O. L. Lehmann.*

Vorangeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrer Dr. Schröder: ***De Romanis moribus palliatae fabulae immixtis dissertatio secunda.***

Marienwerder, 1837.

Gedruckt bei Friedrich August Harich.

A n z e i g e.

Da das interimistische Lokal der Anstalt bei deren sehr gesteigerter Schüleranzahl zur Abhaltung eines öffentlichen Examens sich nicht eignet und das neue Gymnasial-Gebäude noch nicht beziehbar ist, so wird für diesmal das öffentliche Examen ausgesetzt und statt dessen ein Privatexamen aller Klassen in Gegenwart des ganzen Lehrerkollegiums gehalten werden.

Lehmann.





De Romanis moribus

palliatae fabulae immixtis

dissertatio secunda

scripsit

Dr. *G. A. Schroeder.*

De Romanis moribus palliatae fabulae immixtis dissertatio secunda.

In fabulis Graecis Latine faciendis quas sibi scripserit leges Terentius et quam multa de suo addiderit Graecis argumentis, superiore disputatione *) pluribus exemplis demonstrare inchoavimus. Itaque hac data scribendi occasione libet perseverare in eadem quaestione ac longius progredi.

Etenim non ex Attica iurisdictione sumpta sunt, quae leguntur Phorm. II, 2, 21, ubi gloriatur parasitus, tutum se ab omnibus iudicum insultationibus esse propterea, quod, cum nihil possideat, etiamsi in ius vocetur, timeant petitores, ne se damnatum domum ducant et edacem hominem alere cogantur. Id autem depromptum est ex legibus duodecim tabularum (A. Gell. XX, 1, 45), quibus creditores tenebantur pascere obaeratos, ni nexi haberent, unde viverent. Cui instituto Romano dedita opera quaerenti non mihi contigit simile ullum apud Athenienses investigare; neque verisimile est, eiusmodi leges valuisse Athenis postquam Solo ἐπὶ σώματα δανείζειν vetuisset, post autem non, sicut Romae (Plaut. Menaechm. I, 1, 20; Poenul. III, 4, 10; ib. V, 6, 4; Asinar. V, 2, 87; Rud. III, 6, 53) iudicati, donec rem iudicatam fecissent, vincti et addicti essent ei, qui in iudicio vicerat. Id cum per infinitam popularis licentiae potestatem credere par est, tum facile colligas ex Demostth. Androtion. Tom. II, p. 293 Tauchn. *Καὶ μὴν, εἰ θέλοιτε σκέψασθαι,*

*) Edita prima disputatio est ad proludendum discipulorum nostrorum lustrationi d. XVI. Octobr. MDCCCXXXIII habitae. Hoc moneo propterea, ut, si quis legat Viri Doctissimi disputationem in simili argumento occupatam, quae inserta est Ephemeridibus antiquitatis Zimmermannianis a. d. XXIII — XXVII. Decembr. MDCCCXXXV, ex temporum computatione appareat, uter utrum scriptorem expilaverit. Scilicet clari viri obscuriorum hominum inventis tacite uti possunt, neque gratiam cuiquam debent.

τί δοῦλον ἢ ἐλεύθερον εἶναι διαφέρει, τοῦτο μέγιστον ἂν εὕροιτε, ὅτι τοῖς μὲν δούλοις τὸ σῶμα ἀδικημάτων ἁπάντων ὑπεύθυνόν ἐστι· τοῖς δ' ἐλευθέροις, κἂν τὰ μέγιστα τύχωσιν ἀδικοῦντες, τοῦτό γ' ἔνεστι σῶσαι. Atque ipsa illa Romanarum legum severitas et mitioribus rogationibus (Liv. VIII, 28) et more publico mollita temporibus Plauti et Terentii exoleverat, nomen autem nexorum ad eorum conditionem traductum est, qui pro debita pecunia operas suas creditoribus collocarent. Varro Ling. lat. VI, 5: Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debet, dat, nexus vocatur. De hac igitur liberorum civium temporariam servitutem servientium statu et Terentianus ille et Plautini loci intelligendi sunt neque ad antiquas istas duodecim tabularum leges referendi, dudum abrogatas.

Non multum ab his distat, quod legitur Phorm. II, 2, 11 et IV, 4, 15, ubi, qui in causis privatis pecunia damnati sint, donec pecuniam debitam solvant, in nervum et carcerem dari dicuntur. Vere Donatus ad priorem locum animadvertit, ex consuetudine Romana haec Terentium dixisse. Athenienses enim nunquam in causis privatis, exceptis unis mercatorum litibus, ad id solvendum, quanti lis aestimata esset, custodia cogi solitos, satis exposuit Schoemannus in libro Der Attische Process p. 745 — 747.

Item ex patriorum, non ex Atticorum deorum collegio Terentius excitavit deam Salutem et in Fabulas suas intulit. Nam quamquam sunt, qui nominum similitudine inducti hanc deam esse eandem dictitent, quae Graecis Ὑγίεια appellatur, tamen hanc sequioribus demum temporibus inventam ad naturas allegoria enatas pertinere, neque in popularem omnium cultum et religionem receptam fuisse, inde patet, quod huius deae non commemorantur apud Graecos templa peculiaria, sed Aesculapii, cuius filia a plerisque esse perhibetur (Schol. Aristophan. Plut. 639 et 701), πάρεδρος fuisse videatur (Pausan. II, 23, 4). Atque etiamsi hoc largirer historiae fabularis quibusdam scriptoribus, Salutem Romanorum Graecorum Ὑγίειαν fuisse dicentibus, hoc tamen confiteri necesse esset, priusquam Aesculapius ipse coeptus esset coli Romae, non potuisse Ὑγίειαν Romam immigrare. Sed ut Romanorum omnes deos salutares, praeter Aesculapium indigites esse credam, adducit me primum dea Febris et dea Meditrina, quibus quae apud Graecos respondeant, invenies nullas. Habemus deinde T. Livii (X, 47) et Plinii (Hist. Nat. XXIX, 4) testimonium, Aesculapium anno 462 u. c. Romam ab Epidauro arcessitum esse, nulla illis locis iniecta Salutis mentione, neque ullam eius faciunt, qui praeterea Aesculapii arcessitum prodiderunt, Ovidius (Metam. XV, 728), Valerius Maximus (I, 8, 2); at idem Livius (X, 1) testis est, iam pluribus ante annis C. Junium Bubulcum aedem Salutis, quam consul vovisset, censor locasset, dictatorem dedicasse. Voverat autem (Liv. IX. 43) id templum non grassante aliqua pestilentia vel alio morbo ingruente, sed belli Samnitici terroribus. Postremo Ὑγίεια ad valetudinem tantum corporis et ad medicinam pertinet, at Salutis et nomen et provincia longe latius patet, et quaevis hominum incolumitas et optabilis vitae cursus hanc deam habent praesidem et antistitem (Plaut. Asinar. III, sc. 3; Poenul. prolog. 128;

Bacchid. IV, 6, 38; Cistellar. IV, 2, 71). Hinc factum est, ut apud Terentium Hecyr. III, 2, 3 quidem Saluti supplicent, ut Philumenae (simulato) morbo medeatur; at Adelph. IV, 7, 44 haec leguntur: Ipsa, si cupiat, Salus servare prorsus non potest hanc familiam; Plaut. Captiv. III, 3, 14: Neque iam Salus servare, si volt, me potest; Mostellar. II, 1, 4: Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest; Cic. pro Fontej. 6: Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. quibus locis iam vides non de corporis valetudine sermonem esse, sed deae vim et potestatem declarari tam late dominantem, ut in proverbium abiisse videatur, praesertim cum in istiusmodi locutionibus Jupiter ipse et dii omnes commemorari soleant, velut Plaut. Amphitr. IV, 3, 17: Neque me Jupiter neque di omnes id prohibebunt, si volent; Phaedr. Fab. V. 8, 4: Elapsum semel non ipse possit Jupiter reprehendere. Itaque iam non dubitabile est, diversa esse Ὑγιείας et Salutis ut nomina, ita numina, cum praesertim recentiores scriptores Latine loquentes Hygeiam germano nomine nuncupent (Martial. Epigrr. XI, 61, 6), unde sequitur, Terentium, cum Salutem in comoedias suas introduxit, hoc fecisse suo arbitratu, quoniam Ἰασὼ, Αἴγλη, Ὑγίεια, Πανάκεια, vel si quam aliam deam posuerat Menander, inaudita spectanti populo nomina visa essent.

In his igitur, quae hactenus a nobis disputata sunt, abscessit Terentius a more Atheniensium, quod, qui Menandri vel Appollodori comoediam Latinis verbis expressam volent legere, atrox putabunt vitium. Esto, nam ista licentia a criticis Romanis vel concessa fuit, vel non denegata. Qua cum Terentius non ita saepe usus sit aspernans in ea re Plautum auctorem et signiferum, maluisse videtur paucis hominibus placere Graece doctis, quam plausum captare illiteratum, alioquin etiam saepius ad Romanos mores respexisset. Quid quod vel urbem egressum esse Terentium Donatus scribit in eius vita, ut Graecorum instituta moresque penitus cognosceret, quos deinde in scriptis exprimeret. Itaque ubi velimus Terentium ab arte musica diiudicare, quam et ipse professus est (Hecyr. prolog. 38 sqq.) et omnis antiquitas ei tribuit, hic iam non absistendum est, sed praeter illa, in quibus aperte contra Graecum colorem et statum peccatum est, singula quoque verba, et signatae voces et formulae examinandae erunt, earumque patrocinium aut suscipiendum aut recusandum est. Namque cum multae eiusmodi dictiones propriae et verba apud Terentium reperiantur, eaque non permittant, ut Athenis vel in Graecia sibi versari videantur spectatores, si iudex datus erit Atticus Atticas ubique in Terentianis fabulis requirens disciplinas, castigandae et expellendae erunt ex palliata comoedia omnes solennes formulae a Romanis iudiciis, a clientela, ab amphitheatro, ceterisque institutis Romanis deductae, omnes denique voces de certa aliqua domestica consuetudine in usum receptae. Haud absimilis disputatio est A. Gellii II, 23, cum Caecilium Statium, quem principem tamen comicorum iudicaverat Cicero et Sedigitius, reprehendendum putavit eo nomine, quod Menandrum iusto licentius reddidisset. Agedum nos quoque induamus aliquantisper morosi alicuius censoris personam, Luscii, Gellii, quo tantum fore promittimus, ut, substitutis in eorum, quae supra dixi verborum locum aliis, a Graeca dicendi ratione minus remotis, quisque

2

fortasse mortalium, quos terra sustinet, artificiosum Terentii opus miretur, sed Latinum esse et in scenam committi posse Romanam, omni pacto neget. Sed agendum hic est ex spectatorum persona, qui auditis istiusmodi verbis et formulis ad mores domesticos cogitationem admovisse putandi sunt et sua instituta Athenas transtulisse; agendum est ex interpretum et grammaticorum auctoritate, quos saepe video Terentianos locos ita explicuisse, ut, quid demensum esset, quid portitor, quid puerorum initiatio (Phorm. I, 1, 15) quid centurio, ex Romano usu, non ex quo debebant, Atheniensium enarrarent. Eo pertinet Adelph. V, 3, 23, Adelph. I, 3, 14 et multis aliis locis locutio liberos tollere; Heautont. V, 4, 7: Ita mihi atque huic sis superstes, quod est sanctissimum parentium iuramentum cf. Andr. III, 2, 7; Eunuch. V, 8, 9: Thais patri se commendavit in clientelam et fidem; Eunuch. IV, 6, 32 et Phorm. II, 1, 77 patronus; Phorm. V, 7, 46: patrocinari; Adelph. IV, 5, 12 et Eunuch. II, 3, 48: advocati; Adelph. IV, 1, 13 cliens; Adelph. IV, 5, 42 causam dicere adversus illum, cui veneram advocatus; Andr. I, 1. 101 sequimur; Andr. I, 1, 16 habet; Phorm. V, 7, 71 gladiatorius animus; Phorm. IV, 4, 22 hariolus, haruspex; Phorm. V, 7, 43 in ius ambula; Phorm. V, 7, 91 in ius eamus, lege agito, rape hunc; Adelph. II, 4, 13 Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam; Phorm. V, 7, 28: Transi ad forum, atque illud mihi argentum iube rescribi; Andr. V, 4, 48: Dos est decem talenta; Heautont. V, 1, 67: Duo talenta pro re nostra ego esse decrevi satis; Andr. IV, 4, 31: Dis pol habeo gratias, cum in pariundo aliquot affuerunt liberae; Eunuch. IV, 6, 26 centurio; Phorm. I, 4, 53 succenturiatus; Eunuch. IV, 6, 26 manipulus; Phorm. I, 1, 9 demensum; Phorm. I, 2, 100 portitor; Andr. IV, 4, 7: Quid turbae est apud forum? quid illic hominum litigant? tum annona cara est; Adelph. V, 9, 13: accede huc ad me, liber esto; Adelph. II, 1, 40: Nam ego liberali illam assero causa manu; Phorm. IV, 3, 72 repudium renuntiare; Eunuch. III, 1, 4 triumphat; Phorm. I, 2, 22 et Heautont. III, 2, 5 provincia; Phorm. I, 1, 9 unciatim; Eunuch. I, 1, 9 et Heautont. III, 3, 23 actum est; Eunuch. II, 3, 56 conclamatum est; Adelph. IV, 7, 10 et Eunuch. II, 3, 98 di vortant bene; Andr. I, 2, 33 Bona verba quaeso; Adelph. III, 3, 85 tribulis; Eunuch. IV, 7, 11: Hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo; Adelph. II, 1, 8: nolle hanc iniuriam mihi factam esse — nollem factum — dabitur iusiurandum (Plaut. Amphitr. III, 2, 9; Liv. XXIX, 19); Eunuch. II, 3, 55 Ilicet; tum vel plura ex iis, quae in prima disputatione pag. 11 et 12 adnotavi, velut servorum pro dominorum delictis cruciatus (Dorvill. ad Chariton. p. 234), paedagogi, iudices compromissarii, alia; deinde etiam proverbia, quae mere Romana esse constat, velut Phorm. II, 1, 35: Unum cognoris, omnes noris; Eunuch. IV, 5, 6 (Cic. Nat. Deor. II, 23): Sine Cerere et Libero friget Venus *);

---

*) Nam Euripideum illud Ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ᾽ οὔ apud Athenaeum VI, c. 99 p. 535, sententia simile, forma multum differt.

omnes denique agnominationes, veluti Andr. I, 3, 13: Nam inceptio 'st amentium, haut amantium; Andr. V, 5, 8: Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia; nam haec omnia Romanorum rerum tractandarum rationem redolent, neque potuerunt illa a Menandro et Apollodoro sic dici, quorum vestigia secutus est Terentius.

Satin haec tibi sunt, lector, an plura desideras? Videorne omnia in Terentio lumina extinguere omnemque, qua Servii Honorati laudem nactus est, proprietatem? Ego vero si peccavi, sciens feci, neque sine caussa. Sed ut aegre hanc Luscii personam hactenus sustinui, ita iam deposita incommoda mihi accusatoris persona periclitabor, quid afferri possit ad Terentium non dico excusandum, sed potius laudibus tollendum. Etenim Terentius comoedias suas, neque ut suam in transferendo dexteritatem ostentaret, neque spectatoribus Graece doctis concinnavit, sed eo consilio edidit, ut in scenam producerentur Romanam, Romanisque spectandae darentur, in qua re imperitae multitudinis magna ratio ducenda erat; neque dubium est, eum demum palliatarum fabularum scriptorem maxima laude floruisse, qui relicto religiosi interpretis angusto curriculo iam lato campo grassatus Graecis fabularum argumentis ad spectatorum intelligentiam et palatum immutatis et ex peregrino Atheniensium agro Romam deductis iureque Quiritium donatis sales adsperserit ex suimet ingenii perenni fonte haustos, a Romana rerum tractandarum ratione, Romanisque moribus et ipsis hominibus petitos. Itaque Terentio Menandri et Apollodori fabulae in Atticorum gratiam et delectationem compositae accommodandae erant Romanis spectatoribus, vertenda Graeca argumenta ita, ut non aliunde expressa, sed a Terentio ipso inventa et primum perscripta viderentur. Hinc nec potuit, nec debuit pati, ulla sibi vincula iniici, quibus sua verba ad Graecorum exempla strictim applicare cogeretur. Atque ut aliquoties eorum studium improbavi, qui nescio quid laudis in eo sibi quaerunt, quod Latinos poetas scenicos, Graecorum exemplaria secutos, non verbum verbo reddidisse deprehendunt ac notant, ita vana prorsus eorum disputatio est, qui, imperite an scienter aliquid mutaverit Terentius in Menandro, vel qui, num recte ceperit et intellexerit exemplar suum, multis verbis sibi docendum existimant (cfr. Intrpp. ad Eunuch. IV, 4, 22; Hecyr. III, 4, 28). Licet enim nostri critici sic praecipiant, ut et loci, quo scena fabulae confertur, et temporis, quo res agi dicitur, et morum eadem per totam fabulam servetur et aequalibis ratio et illis conveniens constantia, antiqui tamen eas leges non tanti fecerunt, ut non, ubi libuisset, negligerent. Quod tragici Graecorum tubarum usum iam ad antiquissima tempora referunt, quod Sophocles Oresten in equiriorum Pythiorum curriculo necari fingit in Electra, quod Euripides heroes in ambienda uxore opimas dotes quarentes inducit (Orest. 1778; Med. 227) idque apud spectatores, qui Homerum suum quotidiana consuetudine bene noverant, haec et id genus alia a spectante populo nunquam notata tanquam vitiose conficta et arti scenicae repugnantia, scholiastarum demum nimis curiosorum hominum vituperationem subierunt, *τὸ Ματρέου θηρίον τί ἐστι* quaerentium, vel *εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ*, velut Athenaeus aut eius epitomator (I, c. 30 p. 64) Aeschylum et Sophoclem corripuit, quod sui

aevi vitia et vivendi rationem Trojanorum temporum aequalibus in fabulis suis impertiverunt. Illud igitur si vel tragici sibi impune indulserunt, ut diversorum et temporum et morum rationem confunderent incolumi tragoediarum gravitate, comicorumne ingenium arctioribus terminis coerceri? hanccine libertatem palliatarum comoediarum scriptoribus denegari? qui, cum iustam comoediam, id est, ut ait Cicero, imitationem vitae et quotidianae consuetudinis speculum, agendam dare non possent propter rempublicam ab optimatibus administratam populari libertati infestis, caveam suam Graecarum elegantiarum et subtilitatum persentiscendarum parum capacem atque spectandi quam audiendi cupidiorem, profecto non poterant attentam et mentibus auribusque erectam tenere, nisi egressi e Graecarum comoediarum finibus, si argumentum respicis, rerum certe varietate non distinctarum, ad Romanos sese accommodassent ipsorumque spectantium civium vitam et mores attigissent. Ista verba autem et formulae, quas supra posui, haberent fortasse, quod reprehenderetur, si apud severissimum iudicem Atheniensem res ageretur Latine nescientem (quamquam ne tum quidem in spectantium reprehensionem incurreret Terentius); verum desinent ea offensioni esse omnia, ubi ostenderimus, Graecis moribus respondere et libere tantum ac puro sermone expressa omnia esse Latine.

Iam primum quod attinet ad formulam liberos tollere, referunt illam interpretes veteres ad paternam Romanorum potestatem, ex qua recens nati ante patris pedes proiecti, nisi ab eo tollerentur, aut exponebantur, aut necari solebant. Alii volunt idem esse atque educare liberos et nutrire. Neutra explicatio, credo, nobis pro septentrione erit, quippe singulis tantum locis adaptata, et est profecto tam vetus haec locutio, processu autem temporis ad alium usum deflexa, ut quid primitus et proprie significet et ad quem pertineat, iam dudum sciri desitum sit. Nam non solum patres, verum etiam matres et mulieres dici liberos tollere, Lambinus ad Plaut. Amphitr. I, 3, 3 exposuit, et potest multis praeterea exemplis confirmari; dicuntur vero vel servi aliique homines (Menaechm. prolog. 33. Hecyr. IV, 4, 82); dicitur tollere ex aliqua muliere liberos pater pro gignere, aut, quod similiter sonat, suscipere (Sueton. Tiber. 7; Neron. 5), sicut ἀείρειν ἔκ τινος a Graecis (Aeschyl. Agam. 1512), et sane in plerisque locis, quos in adversaria retuli, liberos tollere contrarium esse apparet expositionis (Plaut. Truculent. II, 2, 45; Terent. Heautont. IV, 1, 14; Andr. I, 3, 14; ib. III, 1, 16), et videtur omnibus locis haec esse communis significatio: aliquos liberos aliqua cura dignos profiteri, quocum simul hoc coniunctum est, ut liberi educentur (cf. Liv. IV, 54.). Sed utut est, in hac quidem disputatione sufficit adnotasse, Graecos prorsus eadem dicendi ratione usus esse cum dicebant τέκνα ἀναιρεῖσθαι (Villoison. Animadvv. ad Longi Pastoral. p. 6), idque non solum de parentibus, sed etiam de alienis hominibus; Aristoph. Nubb. 530 — 31:

Κἀγὼ (παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν, κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,)
Ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο.

itemque Plutarchus (Fortun. Romanor. c. 5) ἀναιρεῖσθαι καὶ τρέφειν ex opposita parte expositionis (τοῦ ἐκτιθέναι) dixit. Apud utrosque autem, et Graecos et Romanos, recens natos interdum interemptos aut expositos esse, de meretricibus certa res est; ab ipsis autem matribus germanis ex patris voluntate Athenis illud factum esse, habemus exemplum apud Terentium Heautont. IV, 1, 13, ubi ingenuus Atheniensis gravidam uxorem, si puellam pareret, foetum exponere iussisse dicitur; quod ubi factum erat, ne exposita quidem puella contentus, pater ille sic increpat uxorem (ib. 22 — 23):

Si meum
Imperium exsequi voluisses, interemptam oportuit,
Non simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare.

atque in hac infantis expositione et agnitione et epitasis et catastrophe inest totius comoediae, quare dubitari non potest, quin illa apud Menandrum quoque ita dicta fuerint.

Haec autem quod dixi, video in vetitam me provinciam processisse; nam contra venit Meierus (et Schoemannus) Der Attische Process pag. 427. talem atrocitatem ab Atheniensibus prorsus declinatam in Romanos solos revolvens, ac, ne cui ullam dubitandi materiem relinquat, a Latinorum comicorum testimonio dehortans. Verwahren, inquit, muss ich mich dagegen, dass mir Niemand die lateinischen Komiker entgegenhalte, die auch in palliatis römische Sitten einem griechischen Sujet einmischten; dass aber überhaupt das Aussetzen der Kinder in Athen mehr von heimlich gebärenden Weibern und auf deren Antrieb als von den Vätern ausging, dass in jedem Falle das Aussetzen heimlich geschah, also verstohlner oder verbotener Weise, möchte schon aus Aristoph. Nubb. 531 hervorgehen. Vellem vir doctissimus certiora argumenta sententiae suae addidisset, quam Aristophanis locum supra adscriptum, e quo sat multa colligit, equidem nihil aliud possum perscipere, quam virgines stupro compressas foetum clanculum exposuisse, id quod scimus omnes (Pierson ad Moerin pag. 138); de legibus autem Atheniensium et circumscripta inde patria potestate nihil ex illo loco concludi potest. Veruntamen ne liberos exponerent patres aut necarent, nata magis quam scripta lex fuit omnibus, qui exuta prisca ruditate ad mores mansuetiores pervenerant. Nam antiquissimus temporibus apud omnes populos, non Romanos solos, infinita

patribus in liberos potestas fuit, qua tamen abusos esse, nullos comperimus, ne abuterentur postea, iam non cavendum erat (his enim rebus νόμοι πρόκεινται ὑψίποδες, οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες), quare vix putem de exponendis et necandis liberis recens natis quidquam vetuisse veteres legumlatores, sed ficta potius et supposititia esse, quae Solonis et Romuli de hac re feruntur edicta. Itaque quod neque apud Romanos, quibus diu viguit priscae disciplinae severitas, neque apud Athenienses liberos vulgo exponi solitos invenimus, id effectum est non legibus publicis, sed morum et vitae humanitate. (Nam quod post Germanici mortem in communi omnium moerore coniugum partus expositos Suetonius Calig. 5 refert, huc non potest referri.) Sponte efficitur, ut, qui tam effera et barbara essent crudelitate, ut natos exponerent, clam hoc fecerint et furtim, non poenae legibus constitutae timore perterriti, sed ne male audirent apud cives ob animi atrocitatem. Poena si scripta fuisset huic crimini, meretricum etiam et amatorum immanitas illa contestata semel saltem in iudicium venisset, semel a comicis illa iudicii calamitas, benigna sane moralis comoediae materia, commemorata et illustrata esset. At tota haec res ad magistratuum vel iudicum curam nihil pertinuisse neque Romae neque Athenis videtur, sed salus liberorum omnibus temporibus omnibusque locis parentium arbitrio permissa fuisse. Scripsit Musonius Rufus singularem librum Εἰ πάντα τὰ γινόμενα τέκνα θρεπτέον, e quo satis ampla habemus et magnae auctoritatis apud Stobaeum fragmenta (Sermm. LXXV et LXXXIV); iam si leges fuissent unquam ab ullo populo latae, ne quis liberos necaret aut exponeret, procul dubio tanquam exemplum ad imitandum propositum commemorasset Musonius et Stobaeus, neque opus fuisset obviam iretur huic crudelitati philosophiae praeceptis; verum, cum antiquos legumlatores laudibus concelebret ob praemia iis parentibus constituta, qui quam plurimos liberos genuissent, Athenienses autem vel lege aliqua in ea re coercitos fuisse, vel natura ab ista immanitate prorsus abhorruisse, minime tradat, ostentui esse potest, neque vetitum legibus fuisse, exponi liberos, neque si res ita tulisset, non factitatum esse. cf. Intrpp. ad Andr. IV, 4, 30. Atque quod in fabulis fictis legimus, patres rei familiaris inopia coactos, aut liberis abundantes, aut etiam pravitate ingenii inductos iussisse recens natos exponi (Long. Pastoral. IV, pag. 117, 121, 131 Villois.), quod disertis verbis narrat etiam Musonius, id factum haud dubie ubique est et saepius. Eundem in modum Heliodorus Aethiop. I, 13 Atheniensem ingenuum fingit apud populum, dum filium accusat, ita perorantem: Προσαγγέλλω τοῦτον, αὐτόχειρ μὲν γενέσθαι, κατὰ τοὺς νόμους ἐξὸν, οὐ βουληθεὶς, ὑμῖν δὲ τὸ πᾶν καταλιπὼν, νόμῳ βέλτιον ἡγούμενος ἢ φόνῳ παιδὸς τὴν δίκην λαμβάνειν. Neque possum adduci, ut Euripidem ad tantam exilitatem recidere patiar, ut quae in Ione tragoedia ille scripsit de exposito (v. 18, 952 — 973) et agnito Ione (v. 26, 32, 934, 1366, 1401 Herm.) et de eius crepundiis, quae omnia nemo negabit conformata et conficta esse ad Atheniensium mores, de unis meretriculis desumpta putem:

(Creusa) ἐκτίθησιν ὡς θανούμενον,
Προγόνων νόμον σώζουσα.

sed consuetudinem (νόμον) liberos exponendi sat vulgarem omnibus fuisse Atticis iudicaveris, nisi naturae bonitate si a tanta atrocitate abhorrerent; id quod docet etiam Attica vox huic rei propria ἐγχυτρισμός; ac si ne haec quidem argumenta omnia satis firma videbuntur, Colophonem addam Posidippnm Comicum (apud Stobaeum LXXVII (Tom. III pag. 89 Gaisf. Lips.):

Υἱὸν τρέφει πᾶς, κἂν πένης τις ὢν τύχῃ,
Θυγατέρα δ' ἐκτίθησι, κἂν ᾖ πλούσιος.

in quibus verbis animadverti velim, non solum ad verba paene cum Terentii loco convenire Posidippum, sed etiam de more et consuetudine Atheniensium sermonem esse. Itaque ad defendendum Terentium satis dictum videtur. Nam illud quidem facile concedo, ab iis, qui erectioris essent et mansuetioris animi, raro expositos liberos esse, ad quod credendum nos adducit vel maxima morientium cura, ut piorum officiorum aliquem relinquerent exsecutorem. Eo respicit Terentius in Heautont. et Andriae locis supra adscriptis, quibus similis obtestatio est apud Euripidem Med. 696 — 698 et apud Xenarchum (Athen. X c. 56 p. 113 *), quamquam Romanorum eadem religio fuit (Plin. Epp. II, 20 cf. Brisson. de formulis VIII, p. 684).

Porro quod saepenumero clientes et patroni et clientelae apud Terentium commemorantur, ubique contendo, referenda haec verba esse aut ad προστατείαν ξένων vel μετοίκων, aut ad συνηγορίαν, nunquam vero clientelam, qualem habebant Romani, significari, quamquam non infitior, cum antiquissimis temporibus clientes fere omnes cives fuissent et longe arctiore et religiosiore cum patronis vinculo continerentur quam ξένοι vel μέτοικοι et προστάτης (A. Gell. XX, 1, 40 sqq.), Terentii aetate clientelam veterem iam paene exolevisse et ad Atheniensium προστατείας quandam similitudinem defluxisse. Itaque Thais in Eunucho cum a Rhodo Athenas se contulisset habitatum, ex instituto Atheniensium in Lachetis fidem et προστατείαν se commendavit (προστάτην ἐπεγράψατο), quam, cum civitate careret, nec possent mulieres per se ipsae in iudiciis ex lege agere, in quovis actu civili haberet patronum et tutorem (Suid. s. v. προστάτης et νέμειν προστάτην). Patrocinari vero, patronus, advocati, ubi de Atticis civibus dicuntur, pertinent ad iudicia et ad eum morem, quo qui ad se defendendum et ad causam perorandam

---

*) Videtur in priore versu huius fragmenti excidisse obtestantis vox οὕτως.

apud iudices non satis se instructos eloquentia existimarent, nec forensi usu confirmatos, iis concessum fuit, ut confectam a *δικογράφῳ* orationem legerent, vel *συνηγόρου* opera et oratoris et defensoris uterentur. In nonnullis denique locis Terentii, velut Eunuch. IV, 6, 32 est patronus qualiscunque tutor, advocatus (Eunuch. IV, 6, 26) nihil aliud quam testis oculatus, nec quidquam publici instituti, nec Romani neque Atheniensis cogitari potest. Itaque cum res istae diversae sint, qui haec verba vituperent, restat ut dicant, quibus tandem verbis Latinis Terentius *προστάτην* et *συνήγορον* reddere debuerit.

Quam sequuntur, exponentur alio tempore.

Schulnachrichten.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

Die weiter unten (sub C. 1) erwähnten Veränderungen und Verhältnisse haben im verflossenen Schuljahre häufig den Lektionsplan bald ganz bald theilweise umgeändert. Daher ist bei dem Wechsel der Lehrer in denselben Lehrgegenständen keine genauere Angabe der Zeitdauer hinzugefügt worden.

I. Prima.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Gützlaff.

Deutsch. 2 St. Literaturgeschichte von Ulfilas bis Klopstock, nach Koberstein; Lesung des Nibelungenliedes; prosaische Aufsätze und metrische Uebungen; mündliche Vorträge eigner Reden. Leitung der Privatlectüre. 1 St. mit II Lectüre nach Lehmanns Lesebuch. Der Direktor.

Latein. 3 St. Cic. Tusc. I—IV. Hr. Ob. Dr. Schröder. Hr. Ob. Gross. 2 St. Horat. epp. I, 18 sqq. und II. Od. I. Privatim Cic. or. pro Murena, pro Milone, post red. in senatu, de senectute; Liv. lib. I. Hr. Ob. Dr. Schröder. 3 St. freie Aufsätze, Exerzitien, Extemporalien und Disputirübungen. Hr. Ob. Dr. Schröder.

Griechisch. 4 St. Hom. Il. XV. XVI. XVII. Platos Gorgias. Privatim Hom. Il. XIX und XX. Od. XIX—XXII. Der Direktor. 1 St. Grammatik. Hr. Ob. Gross.

Hebräisch. 2 St. mit II. Grammatik nach Gesenius und Lectüre in Gesenius Lesebuch. Hr. G. L. Raymann.

Französisch. 2 St. Wiederholung der Grammatik durch Exerzitien, Extemporalien und freie Aufsätze. Hernani von Victor Hugo. Hr. Gräser.

Philosophische Propädeutik. 1 St. Logik. Der Direktor.

Religion. 2 St. mit II. Erklärung der 3 ersten Hauptstücke. Biblische und Kirchenge-

schichte von Erschaffung der Welt bis auf die Mitte des 3. Jahrh. n. Chr. Ev. Joh. c. 1 — 8 in der Grundsprache gelesen und erklärt. Einleitung in die kanonischen Bücher des A. T. Hr. Prediger Meller. Hr. G. L. Baarts.

Mathematik. 4 St. Analytische Geometrie. Allgemeine Arithmetik nach Grunert. Hr. Ob. Dr. Gützlaff.

Physik. 2 St. Im Winter Lehre von der Wärme und Hydrostatik. Im Sommer Repetition der Statik, Mechanik, Hydrostatik; ferner die Hydraulik und die Lehre von den luftförmigen Körpern. Hr. Ob. Dr. Gützlaff.

Naturgeschichte. 2 St. mit II. Die wirbellosen Thiere; Uebersicht der Botanik und Mineralogie. Hr. Ob. Dr. Grunert.

Geschichte und Geographie. 3 St. Mittlere Geschichte und Repetition der alten Geschichte. Alte Geographie. Hr. Ob. Gross.

Zeichnen. 2 St. mit II. Hr. Staberow.

II. Sekunda.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Schröder.

Deutsch. 2 St. Das Hauptsächlichste aus der Literar-Aesthetik. Bruchstücke aus der neuesten Literaturgeschichte. Vortrags- und Disputirübungen. Deutsche Aufsätze. Leitung der Privatlectüre. Hr. G. L. Raymann. 1 St. mit I Lectüre. Der Direktor.

Lateinisch. 2 St. Virgils Aeneid. II u. III. Privatim IV u. V. Der Direktor. 3 St. Livius XXXV. Hr. Ob. Gross. Cic. oratt. pro Milone, in Catil. I — IV, pro Archia. Hr. Ob. Dr. Schröder. Privatim: mehrere Feldherren aus Cornel Nep., ein Buch aus Caes. bell. civ. u. bell. Gall. Hr. Ob. Dr. Schröder. 3 St. Grammatik, Exerzitien, Extemporalien und freie Aufsätze. Hr. Ob. Gross.

Griechisch. 2 St. Xen. Cyrop. IV u. V. 2 St. Hom. Od. I — III. Privatim: Od. IX. 2 St. Exerzitien und Grammatik. Hr. Ob. Dr. Schröder.

Hebräisch. 2 St. s. I.

Französich. 2 St. Wiederholung der Formenlehre und Syntax durch schriftliche Arbeiten. Charles XII 1, 2 u. 3. Hr. Gräser.

Religion. 2 St. s. I.

Mathematik. 4 St. Im Winter Stereometrie nach Grunert, verbunden mit algebraischen Uebungen. Im Sommer Potenzen, Logarithmen, Gleichungen des ersten und zweiten Grades mit 1 und mehreren Unbekannten, arithm. und geom. Progressionen. Hr. Ob. Dr. Gützlaff.

Physik. 2 St. Im Winter Einleitung in die Physik cap. I — IX nach Fischers Lehrbuch. Im Sommer Elektrizitätslehre. Hr. Ob. Dr. Gützlaff.

Naturgeschichte. 2 St. s. I.

Geschichte und Geographie. 3 St. Mittlere Geschichte und Geographie von Alt-Griechenland. Hr. Ob. Gross.

Zeichnen. 2 St. mit I. Hr. Staberow.

III. Tertia.

Ordinarius: Im Winter Herr Gymnasial-Lehrer Ottermann.
Im Sommer Herr Oberlehrer Gross.

Deutsch. 4 St. Lehre vom Verbum, Verslehre, nach Götzinger. Aufsätze, Deklamationen, Lectüre nach Lehmanns Lesebuch. Hr. G. L. Ottermann. Hr. Ob. Dr. Schröder. Hr. Silber.

Lateinisch. 2 St. Ovid. Met. I—III. Hr. G. L. Ottermann. 2 St. Caes. b. Gall. III—VI. Hr. G. L. Ottermann. Der Direktor. Hr. Ob. Gross. 3 St. Grammatik und Stilübungen. Hr. G. L. Ottermann. Hr. Ob. Gross.

Griechisch. 3 St. Jacobs Lesebuch. Xen. Anab. I. Hom. Od. I. Hr. Ob. Gross. Hr. G. L. Ottermann. Hr. G. L. Baarts. 3 St. Grammatik und Exerzitien. Hr. Ob. Gross.

Französisch. 2 St. Unregelmässige Verba. Repetition der ersten Elemente mit schriftl. Uebungen. Hirzels Lesebuch und Charles XII. Hr. Gräser.

Religion. 2 St. Erklärung der beiden ersten Hauptstücke. Lesung der ersten 12 Kapitel aus d. Ev. Matth. Biblische Geschichte bis auf die Zeit der Makkabäer. Hr. Prediger Meller. Hr. G. L. Baarts.

Mathematik. 4 St. Gemeine Arithmetik nach Grunert. Ebne Geometrie 1te u. 2te Abtheilung nach Grunert. Hr. Ob. Dr. Gützlaff.

Naturgeschichte. 1 St. Thierreich. Hr. Ob. Dr. Grunert.

Geschichte. 2 St. Römische Geschichte von der Schlacht bei Zama bis zur Auflösung des Weström. Kaiserthums. Griech. Geschichte bis auf die Perserkriege. Hr. Ob. Dr. Grunert.

Geographie. 1 St. Asien u. Afrika Hr. Ob. Dr. Grunert.

Zeichnen. 2 St. Hr. Staberow.

IV. Quarta.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Dr. Grunert.

Deutsch. 3 St. Grammatik; mündliche und schriftliche Uebungen im richtigen Ausdruck der Gedanken; Deklamationsübungen; Lectüre in Lehmanns Lesebuch. Hr. Ob. Dr. Grunert.

